



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

6. Controversum est, si Pater Dominusvè, cum quo de peculio agi poterat, latitet, an in bonorum eius possessionem missio fieri possit, etsi nihil in peculio sit? Negat Papinian. Affirmat Ulpian. in *L. Fulcinius. §. si quis actione. 15. ff. quib. ex causis in poss: eat.* de conciliandis, vide *Donell: c. 11. con: 11.* Æq; controversum est, si in bonis sint fructuarii aut vectigales, an in eos quoque fiat missio? Fit: salvo tamen jure domini, idemq; de feudali prædio dici potest. *Gail: 1. observ: 117. L. 6. 9. §. Prædium. ff. de leg: An in bona quoq; municipiorum missio fieri potest? quidni? cum habeantur loco privatorum. L. bona. 15. ff. de v. s.* Quid si bona non habeat municipium? Respondent DD. contributionem à municipibus faciendam. *Gl: in L. 1. §. fin: ff. quod cui unius nom.*

7. Cæterùm missus in possessionem rei servandæ gratia, custodiam & observationem rerum consequitur, quæ etiam fructuū colligendorum potestatem continet: non ut eos lucretur, ne quidem pro sustentatione, saltem regulariter, sed ut custodiat. *L. 7. pr. ff. quib. ex causis in poss: eat.*

L. 7. §. ult: L. 1. §. Imperator ut in poss: leg: nomi:
 Quod si debitor missione spretâ credito-
 res frustrari pergat, impetrât illi decretum
 de proscribendis vendendisq̄ue bonis.
 Sed si ante bonorum venditionem exi-
 stat, qui defendere vel solvere paratus sit,
 æquum est, ut bona restituantur unâ cum
 fructibus: ita ut & impensarum à cre-
 ditoribus factarum, & si dolo eorum
 deterior causa possessionis effecta sit, per
 in factum actionem ratio habetur. *L.*
Prator ait. 6. ff. de reb: auct. jud. poss. Si plu-
 res emere parati sint, extraneo emptori
 præfertur cognatus, utrique creditor, *L.*
cum bona 16. eodem. dummodò tantundem
 offerent quantum extraneus: est enim
 hæc auctionum regula, ut qui licitatione
 vicerit, melioremvè conditionem attule-
 rit, ei res addicatur. *L. 4. C. de fide & jur:*
hast. fisc. L. 4. ubi Bald: & Salic C. de vectig.
 meliorem autem conditionem facit, non
 solum pretii magnitudo, sed & exigendi
 facilitas. Itaque si posterior, qui pretium
 auxit, minus idoneus sit: ad priorem ma-
 gister auctionis reverti potest. *arg: L. 9. ff.*
de in diem addict: ubi: Rebus. in rubr: de præcon.
& licit. a 7. n. 10.

Pen-

Pendente subhastatione, cuius emolumentum fructus sunt, utrum debitoris an emptoris an magis creditorum? Debitoris: non utiq; emptoris, quamdiu pretium ab eo solutum non est. *L. acceptam. 19. C. de usur.*

8. Ultima exequendi ratio carcer est, de quo etsi parcius jura loquantur, non obscuris tamen vestigiis colligitur fuisse etiam Justiniani ævo, hoc exequendi genus legitimum; imprimis adversus debitores suspectos, fugitivos, dilapidatores. *L. 1. & ult. C. qui bon. ced. poss.* Usus certe plerarumq; regionum probat. Ultra carcerem non progredimur ad pœnam aliquam corporalem: Regula enim, Qui non habet in ære, luat in pelle, in delictis tantum locum habet. *L. 7. ff. de jurisd.* In contractibus istâ utimur. Inanis est actio quam excludit inopia debitoris. *L. 6. ff. de dolo malo.* Multo minus cadaver defuncti vexari potest, donec debitum extorqueatur. *nov. 60. cap. 1.* In includendo autem debitore, cavendum quidem moment, ne de domo suâ extrahatur; possenti extrahenti impunè resisti. Sed consuetudo con-